

commemoratione, quos dignitatis sua dicit fuisse auctores. Verum hic de P. Lentuli filio loquitur, qui eodem anno, quo togam virilem a patre sumpserit, etiam auguratus praetextam iudicio populi adeptus duplicaverit votum [a] 5 familiare maturato sacerdotio.

Rogationis iniustissimae subiit acerbitatem.

Rogationem dicit tribuniciam, quae lata fuerat ad-  
versus hunc eundem P. Lentulum. Repetenda igitur  
paulo altius enarratio est, ut omnia dilucidius appareant.  
10 Ptolomaeus regno pulsus, cum gratiose impetrasset, ut  
senatus eum restitui in suum regnum iuberet idque  
negotium P. Lentulo dedisset, videbantur decemviri libris  
Sibyllinis inspectis renunti . . .

*(Desunt XVI paginae.)*

15

⟨INCIPIT IN VATINIUM⟩

... ⟨pro⟩ bavit nulli displicuisse illam defensionem, quam § 5  
⟨pro⟩ Cornelio suscepere, cum sit non ita multo post vel 6.  
consulari honore donatus.

Omniaque me pudenter vivendo consecutum, § 6.  
20 quae tu inpudenter vaticinando sperare te saepe  
dixisti.

Ineptissimam Vatinii et paene furiosam . . . consulatum  
iuraverit, qui primum sibi nec auderet optare. Hanc  
ergo vaticinationem nominat spem, videlicet honoris quasi  
25 per dementiam cogitati.